

existentia ex tali cogitatione ducendum, cumque cogitatio una expellat aliam, ne fieri quidem potest, ut eisdem perpetuò cogitationibus inhæreamus. Et hoc commune est omnibus nostris cogitationibus: at sequenti Exercitatione Dei existentiam ex aliquo, quod cogitationi de Deo peculiare est, demonstrare conabimur.

EXERCITATIO VI.

Cogitationem de Deo mens nostra habere non posset, nisi Deus revera existeret.

1. **Q**Uæritur, an possit mens nostra illam cogitationem de Deo quam habet, sive ideam Dei, habere, nisi Deus existeret (non dico, nisi Deum existere sciret, hoc enim aliud est) quæ specialis quæstio resolvi potest in hanc generalem:
 - ” an possit esse ulla imago (*idea* enim in
 - ” mente nostra sunt imagines rerum) quæ sit perfectior in suo esse imaginis, quam est illa causa, à qua pendet in tali suo esse?
2. Logicæ meæ parte quarta in fine capitis 13. ostendi illud repugnare communi huic notioni: *nihil potest esse in effectu quod non præxstiterit in causa*. Ex quo Dei existentiam porro conclusi. Nunc argu-

argu-